

†

# BOLETIN OFICIAL ECLESIASTICO

del

## OBISPADO DE MALLORCA.

---

Damos á continuacion copia del ejemplar autentico del rezo de Ntra. Sra. del Pilar que el Excmo. é Ilmo. Sr. Arzobispo de Zaragoza se sirvió enviarnos juntamente con los decretos que se publicaron pags. 240 y 241 de este Boletin, cuya copia no habiamos podido dar hasta ahora por su mucha estension.

DIE XII. OCTOBRIS.

**OFFICIUM**

IN COMMEMORATIONE

**B. M. V. DE COLUMNA,**

**PRO REGNO ARAGONIE TANTUM.**

(Dup. I. clas. cum oct.)

---

AD VESPERAS,

*antiphona.*

Sapientia... *cum reliquis de  
Laudibus. Psalm. Dixit Do-  
minus... cum reliquis, ut in  
Officio parvo B. M. V.*

*Capitulum. Eccl. 24.*

In omnibus requiem quæsivi,  
et in hæreditate Domini mora-  
bor, et dixit mihi Creator om-  
nium: In Jacob inhabita, et in  
Israel hæreditare, et in electis  
meis mitte radices.

*Hymnus.*

Ave, maris stella,  
Dei Mater alma,  
Atque semper virgo,  
Feliz cæli porta.  
Sumens illud Ave  
Gabriëlis ore;  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.  
Solve vincla reis,  
Profer lumen cæsis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis;  
Nos culpis solutos,  
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut videntes Jesum,  
Semper collemur.

Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spiritus Sancto,  
Tribus honor unus.

Amen.

ÿ. Ora pro nobis, sancta  
Maria advocata nostra.

ñ. Ut digni efficiamur pro-  
missionibus Christi.

*Ad magnificat, antiphona.*

Elégi, et sanctificavi locum

istum præsentia mea, ut sit ibi  
nomen meum, et permaneant  
oculi mei, et cor meum ibi  
cunctis diebus.

*Oratio.*

Omnipotens sempiternæ Deus,  
qui per gloriosissimam Filii  
tui Matrem cœlestæ præsidium  
nobis mirabiliter præparasti;  
concede propitius, ut quam  
peculiari titulo de Columna pia  
devotione veneramur, ejus per-  
petuo protegamur auxilio: Per  
eundem Dominum nostrum...

*Ad Matutinum, inviatorium.*

Sanctam festivitatem beatæ  
Mariæ Virginis cum gaudio ce-  
lebremus, \* Christum ejus Fi-  
lium adoremus Dominum.

*Psalmus.* Venite, exulte-

mus Domino...

### HIMNUS.

Jubilo dulcicanimus Mariam,  
Flumen æternæ pietatis, unde  
Hauriunt omnes, quibus ardet alto  
Pectore virtus.

Cujus est primo fidei sub ortu  
Noster expertus populus favorem,  
Cum per Hispanas micuisset oras  
Stemma salutis.

Longa quod plausu cecinit vetustas,  
Quod patres olim coluere festum,  
Prædicent sancte, celebrentque grata

Mente nepotes.

Fertur ut quondam monitus Jacobus  
Cæsaraugustæ posuisse templum,  
Nostra sic ædes nitidas Mariæ  
Corda dicemus.

Virginis laudes celebrans Iberus  
Civis exultet, memor et receptæ  
Gratiæ, festo redeunte, vota  
Debita solvat.

Sit decus summum tibi, Christe, Mater  
Pura quem virgo generavit, æqua  
Laude dicatur Pater, ac perenni  
Spiritus æveo. Amen.

*In I. Nocturno, añã.*

Columnam ducem habuimus  
ignotæ viæ, et solem sine  
læsura boni hospitii præstitisti.

*Psalmi de Officio parvo B.  
M. V.*

*Añã.* Non fecit taliter omni  
nationi, et judicia sua non  
manifestavit eis.

*Añã.* Sapientia ædificavit  
sibi domum, et mensam suam  
proposuit.

†. Specie tua, et pulchritudine tua. ¶. Intende, prospere procede, et regna.

De Parabolis Salomonis.

*Cap. 8. b et 9.*

*Lectio I.*

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum co-

gitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me dilige; et qui mane vigilant ad me, invenient me.

¶. Vidi speciosam, sicut columbam, ascendentem de super rivos aquarum ejus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: \*Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

†. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fu-

mi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? Et sicut...

### Lectio II.

Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et gemina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret á principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

R/. Beatissima Virgo sancto Jacobo Apostolo ad Iberi fluminis ripam oranti apparuit: \* Ibi que ut sacellum extrueret, eidem injunxit.

ÿ. Ecce locus signatus, et honori Deiparæ deputatus. Ibi que...

### Lectio III.

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas

quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenierit, inveniet vitam, et hauriet salutem á Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

R/. Jacobus Apostolus ædiculam extruxit, \* Quæ antiqua populorum religione et maxima frequentia celebratur. ÿ. Auribus nostris audivimus: patres nostri anuntiaverunt nobis. Quæ antiqua... Gloria Patri... Quæ antiqua...

### In II. Nocturno, añã.

Tulit Jacob lapidem unum, et vocavit nomen loci illius: Lapis adjutorii.

Añã. Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

*Añā.* Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.

†. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ⁊. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Sermo S. Augustini Episcopi.

*Sermone 18. de Sanctis.*

*Lectio. IV*

Adest nobis, dilectissimi, optatus dies Commemorationis beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ: quæ deo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata solemnitate. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum liliū convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur et culpa. Præcisum est in ea illud Hevæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos; quia ista in lætitia Dominum peperit. Hevæ lacrymas, Mariæ gaudium in ventre portavit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem.

⁊. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, Ecclesia

Dei vivi.\* Columna fidei, et firmamentum veritatis. † Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. Columna fidei...

*Lectio V.*

O beata mater, quis tibi digna valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perditio? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.

⁊. Ad simulacrum Virginis pilæ é marmore supersans pie venerandum populi de longinquo veniunt.\* Vota sua humili corde offerunt, et uberes gratias á Deo impetrant.

ŷ. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vota sua...

*Lectio VI.*

Et profecto sperandum nobis ac præcipue lætandum est, quibus insigni beneficio peculiarem suimet obtinendi patrocinii fiduciam clementissima Virgo concessit. Ut enim pia et antiqua traditio habet cum Jacobus Apostolus, Major nuncupatus, divino consilio in Hispaniam appulisset, et aliquamdiu Cæsaraugustæ substitisset, ipsi cum aliquot discipulis noctu ad Iberi fluminis ripam oranti, beata Virgo, dum adhuc in humanis ageret, apparuit, ibique ut sacellum extrueret, eidem injunxit. Quare nihil cunctatus Apostolus, discipulis opem ferentibus, ædiculam Deo in ipsius virginis honorem dicavit. Huic autem procedentibus sæculis, amplius, et augustius templum accessit, quod á simulacro Deiparæ, pilæ é marmore superstante, atque ibidem maxima totius regni pietate, ac frequentia venerato, á Columna olim acceptum nomen, his-

ce quoque temporibus retinet. Utque debitus Deo cultus, ac fervens jam erga Virginem populorum devotio uberius in dies incrementum accipiat, Clemens Duodecimus Pontifex Maximus per universas Regi catholico subjectas ditiones ejusdem Commemorationis Officium die duodecima octobris celebrari indulsit. Et novissime Summus Pontifex Pius Septimus hanc Festivitatem ad ritum primæ classis cum octava elevavit, Officiumque proprium in ea recitari posse concessit, sed pro toto regno Aragoniæ tantum.

ŷ. Vox turturis audita est in terra nostra: signum magnum apparuit in cælo:

\* Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. ŷ. Et in capite ejus corona duodecim stellarum. Mulier... Gloria Patri... Mulier...

*In III. Nocturno, añã.*

Dedit nobis Dominus civitatem munitam, et columnam ferream.

*Añã.* Dum anxietur cor nostrum, in petra axaltasti nos.

*Añā.* En ego stabo ibi coram te super petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus meus.

ꝫ. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

ꝑ. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11. d.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 49. in Lucæ 11.

Magnæ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis et Pharisæis Dóminum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et præsentium procerum calumniam, et futu-

rorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam sicut tunc Judæi, Sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant; sic hæretici postea negando, Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt.

ꝑ. Insigni beneficio peculiarem sui obtinendi patrocini fiduciam clementissima Virgo nobis concessit:

\* Quæ hunc locum elegit, in quo preces undique confluentium benigne exciperet.

ꝫ. Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Quæ hunc...

Lectio VIII.

Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis á carne Virginis matris pronuntiat extranea, sine causa venter qui eam portasset, ubera quæ lactassent, beatificantur.

Dicit autem Apostolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiendi sunt qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub lege; sed, factum ex muliere, quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur, his contra Eutychem dictis, extollamus vocem cum Ecclesia catholica, cujus hæc mulier typum gessit, extollamus, et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. Vere enim beata parens, quæ sicut quidam ait, enixa est puerpera Regem, qui cælum terramque tenet per sæcula.

R. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël: \* Et honorificentia populi nostri. †. Cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata visitatione. Et honorificentia... Gloria Patri... Et honorificentia...

### Lectio IX.

Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia et eadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna.

Te-Deum laudamus...

### AD LAUDES.

et per Horas, antiphona.

Sapientia ædificavit sibi domum, et proposuit mensam suam.

*Psalmus:* Dominus regnavit... cum reliquis de Officio parvo B. M. V.

*Añã.* In Altissimis habita-



vi, et thronus meus in columna nubis.

*Añã.* Erexit Jacob lapidem in titulum: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

*Añã.* Fundata est domus Domini secus decursus aquarum, et flumina non obruent illam.

*Añã.* Fundabo te in saphiris, ponam jaspidem propugnacula tua.

*Capitulum. Eccl. 24.*

In omnibus requiem quæsi-  
vi, et in hæreditate Domini morabor, et dixit mihi Creator omnium: In Jacob inhabita, et in Israël hæreditare, et in electis meis mitte radices.

*Hymnus.*

Grata Virgini Mariæ  
Præsidi dulcisimæ,  
Gaudeat sublime donum  
Concinens Hispania,  
Occupet nec ulla mentes  
Impudens oblivio.  
Virgo stans super columnam  
Fulget æde maxima,  
Excubantes hinc et inde  
Lampades pulcherrimæ,  
Nocte certatim dieque

Dulce lumen offerunt.  
Quæ patres cœpere primi  
Tecta cultu simplici,  
Posteris majore sumptu  
Promoventes extruunt:  
Prisca paupertas placebat,  
Nec novus mos displicet.

Nempe devotas ad aras  
Supplices se conferunt,  
Eremotis dona terris  
Consecrantur ædibus,  
Spargit unde Virgo clemens  
Gratias uberrimas.

Sit tibi virtus, decusque  
Christe nate Virgine,  
Sit Patri Laus, et Datori  
Gratiarum Flamini,  
Una jugiter canatur  
In tribus divinitas.  
Amen.

ÿ. Ora pro nobis, sancta  
Maria, advocata nostra.

ñ. Ut digni efficiamur pro-  
missionibus Christi.

*Ad Benedictus, antiphona.*

Sanctificavit Dominus taber-  
naculum suum: benedicta glo-  
ria Deiparæ de loco sancto  
suo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus,  
qui per gloriosissimam Filii  
tui Matrem cœleste præsidium

nobis mirabiliter præparasti; concede Propitius, ut quam peculiari titulo de Columna pia devotione veneramur, ejus perpetuo protegatur auxilio: Per eundem Dominum nostrum...

*Ad Tertiam, añã.*

In altissimis habitavi...

*Capitulum.* In omnibus requiem... *ut supra.*

☿. *breve.* Specie tua,\* Et pulchritudine tua. Specie tua.

☿. Intende, prospere procede et regna. Et pulchritudine.. Gloria Patri... Specie tua...

☿ Adjuvabit eam Deus vultu suo. ☿ Deus in medio ejus non commovebitur.

*Ad Sextam, añã.*

Erexit Jacob...

*Capitulum. Eccl. 24. b.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum dentio mea.

☿. *breve.* Adjuvabit eam \* Deus vultu suo. Adjuvabit eam. ☿ Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri... Adjuvabit eam. ☿ Elegit eam Deus, et præelegit eam. ☿ In tabernaculo suo habitare facit eam.

*Ad Nonam, añã.*

Fundabo te...

*Capitulum. Eccl. 24. b.*

In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

☿. *breve.* Elegit eam Deus, \* Et præelegit eam. Elegit eam... ☿ In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit.. Gloria Patri... Elegit eam... ☿ Diffusa est gratia in labiis tuis. ☿ Propterea benedixit te Deus in æternum.

*In secundis Vesperis omnia ut in primis, excepta antiphona ad Magnificat:*

Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, et perfice eam.

*Oratio, ut supra.*

DIE XIX. OCTOBRIS.

*Octava B. M. V. de Columna.**Duplex pro regno Ara-  
goniæ tantum.**Omnia dicuntur ut in die fes-  
tivitatis, præter lectiones.*

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

*Lectio I. Cap. 24.*

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circumivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit; et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in

tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.

R]. Vidi speciosam... 3.

*Lectio II.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho: Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et unguis, et gutta, et quasi Li-

banus non incisus vaporavi  
habitationem meam, et quasi  
balsamum non mixtum odor  
meus.

℞. Beatissima Virgo... 4.

*Lectio III.*

Ego quasi terebinthus extendi  
ramos meos, et rami mei  
honoris et gratiæ. Ego quasi  
vitis fructificavi suavitatem  
odoris: et flores mei fructus  
honoris et honestatis. Ego  
mater pulchræ dilectionis, et  
timoris, et agnitionis, et sane-  
tæ spei. In me gratia omnis  
viæ et veritatis, in me omnis  
spes vitæ et virtutis. Transite  
ad me omnes qui concupiscitis,  
me, et á generationibus meis  
implemini: spiritus enim meus  
super mel dulcis, et hæreditas  
mea super mel et favum: me-  
moria mea in generationes sæ-  
culorum. Qui edunt me, adhuc  
esurient: et qui bibunt me,  
adhuc sitient qui audit me  
non confundetur: et qui ope-  
rantur in me, non peccabunt.  
Qui elucidant me, vitam æter-  
nam habebunt.

℞. Jacobus Apostolus... 4

IN SEGUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Cyrilli Episcopi  
Alexandrini.

*Homilia contra Nestorium.*

*Lectio IV.*

Hilarem video cœtum Sanc-  
torum omnium, qui conve-  
nerunt promptis animis, á sau-  
cta Dei Matre Maria semper  
virgine convocati. Laus et glo-  
ria sit tibi, sancta Trinitas,  
quæ omnes nos ad hanc cele-  
britatem convocasti. Sit etiam  
tibi, sancta Dei Mater, laus. Tu  
enim es pretiosa margarita or-  
bis terrarum: tu lampas inex-  
tinguibilis, corona virginita-  
tis, sceptrum orthodoxæ fidei,  
templum indissolubile, conti-  
nens eum qui nusquam con-  
tineri potest, mater, et vir-  
go, per quam benedictus,  
qui venit in nómine Domini,  
in sanctis Evangelis nomi-  
natur.

℞. Hæc est domus... 5.

*Lectio V.*

Perte Trinitas sanctificatur,  
per te crux pretiosa celebra-

tur, et adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli et Archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ.

¶ Ad simulacrum... 5.

*Lectio VI.*

Te adjutrice, gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te unigenitus Dei Filius vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris et umbra mortis. Per te Prophetæ prænuntiaverunt, per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt. Quisnam poterit tuarum laudum præconia explicare, Maria mater et virgo? Hanc, fratres dilectissimi, celebremus, ejus Filium Ecclesiæ sponsum immaculatum adorantes: cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¶ Vox turturis audita... 6.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lectio VII. Cap. 11. d.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi. Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

*In Joannis cap. 2. Hom. 20. circa finem.*

Cum audieris mulierem illam, dicentem: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ susxisti: deinde Dominum respondentem: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et costodiunt illud: ea sententia dictum existima, nom quod matrem negligeret; sed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate, et fide præstaret. Quod si Mariæ nihil sine virtute materæ charitas erat profutura, longe minus nobis patris, fratris, matris, filii bonitas, nisi aliquid nostrum afferamus.

¶ Insigni beneficio... 7.

*Lectio VIII.*

In nullo namque alio nisi in solius sui ipsius virtutibus post divinam gratiam de salute cuiuspiam sperandum est. Nam si id profuturum erat per se Mariæ, profuisset etiam Judæis,

quorum consanguineus erat  
Christus secundum carnem :  
profuisset civitati in qua na-  
tus est, profuisset fratribus:  
atqui dum fratres rerum sua-  
rum curam habuerunt, nihil  
eis propinquitatis nomen pro-  
fuit, sed cum reliquo mundo  
damnandi erant.

B). Tu gloria Jerusalem... 8

*Lectio IX.*

Tunc autem admirationi esse  
cœperunt, quando propria cla-  
ruerunt virtute, patria vero ni-  
hil inde consecuta cecidit, et

Missa *Salve, Sancta Parens* de tempore cum oratione Officii, et *Credo*.

Præfacio. *Et et in festivitate...*

REGNI ARAGONIÆ.

**Sanctissimus dominus noster Fius VII.**

*Pontifex Maximus, enixè supplicantibus Rmo. Archiepiscopo Cæsa-  
raugustano cum suo Capitulo, aliisque Reverendissimis Episcopis et  
Abbatibus regni Aragoniæ, et Senatu civitatis Cæsaraugustæ totius  
regni Aragoniæ capitis, necnon Regali Academia Cæsaraugustana, refe-  
rente R. P. D. Hieronymo Napulionio Fidei Promotore, benignè indul-  
sit, ut quotannis in posterum festum Commemorationis beatæ Mariæ  
Virginis de Columna, sive del Pilar in toto regno Aragoniæ in die  
xii. mensis octobris ritu duplicis primæ classis cum octava celebrari  
possit, facta potestate quibuscumque de Clero tam Seculari, quàm Re-  
gulari cujuscumque Ordinis utriusque sexus, qui ad Horas canonicas  
tenentur, in eodem festo recitandi suprascriptum Officium proprium ab  
Emo. et Rmo. D. Card. de Somaglia Smi. Dñi. nostri in Urbe Vica-  
rio, Sacrorumque Rituum Congregationi Præfecto cum supramemorato  
Promotore Fidei revisum; et Sacerdotibus legendi in Missa, pro eo-  
dem festo jam concessa, suprascriptam pariter orationem propriam.*

*Quoad vero civitatem et diœcesim Cæsaraugustanam, in qua prædic-  
ta die xii. agitur festum Dedicacionis Templi, indulsit, ut idem Officium  
proprum præmisso ritu, ac solemnitate, in omnibus ut supra, in die  
xvi. ipsius mensis octobris recitetur. Die 2 septembris 1807.*

Julius M. Card. de Somaglia, S. R. C. Præfetus  
Loco ✠ sigilli. J. de Carpineo. S. R. C. Secretarius.

## SECRETARIA DE CAMARA EPISCOPAL.

*Suscripcion voluntaria para auxilio de las necesidades del Santo Padre.*

Suma anterior . . . . .	177.502 75
Un sacerdote . . . . .	40
Ahorros de un estudiante. . . . .	10

Suma . . . . . 177.552 75

Palma 27 noviembre de 1863.—Teodoro Alcover Srio.

*Suscripcion para alivio de las víctimas del terremoto de Filipinas.*

Suma anterior . . . . .	20,110 57
Ahorros de un estudiante. . . . .	10

Suma. . . . . 20,120 57

Palma 27 noviembre 1863.—Teodoro Alcover. Srio.

De órden de S. E. Ilma. el Obispo mi Sr. se anuncia á sus amados fieles que el mártres dia 8 de diciembre próximo, festividad del misterio de la Inmaculada Concepcion de María Santísima, celebrará, Dios mediante, misa pontifical en esta Santa Iglesia, dando al fin de ella al pueblo la bendicion papal con indulgencia plenaria para todos los que habiendo confesado y comulgado rogaren por la paz y concordia entre los príncipes cristianos, estirpacion de las heregías y exaltacion de la santa fé católica.

Ademas, á las 8 de la mañana del espresado dia se celebrará comunion general en la misma Santa Iglesia y simultáneamente en los altares mayor, de la Concepcion y de San Pedro. Los que concurren y los que comulgaren en la Catedral á cualquiera hora de dicho dia orando por los espresados fines podrán ganar otra indulgencia plenaria, aplicable á las benditas animas del purgatorio, que concede S. E. I. en virtud de autoridad apostólica á él delegada por nuestro Santísimo Padre el Papa Pio IX felizmente reinante.

Palma 27 Noviembre de 1863.—L. Teodoro Alcover  
Canónigo Secretario.

---

### CRÓNICA DE LA DIÓCESI.

El día 16 de octubre último fué nombrado coadjutor de la Parroquial Iglesia de Escorca el Pro. titular de Palma don Miguel Barceló.

Es probable que á mediados del mes de enero próximo pueda recibir el clero de esta Diócesi otros ejercicios espirituales bajo la direccion de padres jesuitas.

Si se reúne el número suficiente de suscritores se imprimirá con música de canto llano bajo la direccion de don Francisco Oliver Sochantre de esta Sta. Iglesia, el nuevo rezo de la Inmaculada Concepcion con su misa, cuyo rezo será obligatorio para todo el mundo en el próximo año 1864.

---

### NECROLOGÍA.

En la tarde del día 21 de este mes falleció en Campanet don Rafael Bennasar y Bisquera Pro. y vicario de dicha villa á la edad de treinta y dos años y cuatro meses.

El día 22 falleció en Sóller el Pro. don Juan Riutord y Casasnovas, que habia sido prior del colegio de Nuestra Señora de Lluch en Escorca, á la edad de sesenta y nueve años y once meses.

A. E. R. I. P. A.

---

### ADVERTENCIA.

Se ruega á los Sres. suscriptores que no hayan pagado la suscripcion al Boletín de este año, se sirvan hacerlo durante el próximo diciembre.

---

PALMA DE MALLORCA.

**Imprenta de la V. de Villalonga.**